

SECULUM X. narrat anonymus vitæ S. Wolfgangi scriptor, quod nempe Gregorius Eberhardo iam abbate ad *monasterium Solitariorum in Hercynia silva habitantium propter arctiorem monasticæ disciplinæ observantiam se receperit, ubi ob egregias virtutes post annos decem omnibus præpositus est.* Id anno 959. factum esse dicunt breves annales Einfidlenses, Hermannus vero ad annum 960. reponit. Sequeretur exinde, Thietlandum Gregorii antecessorem alterutro istorum annorum iam obiisse; quod tamen dici haud potest, quum in diplomate Ottonis I. anno 961. pro *Eberhardes Cella* (uti tum a primo eiusdem abbate vocabatur) dato, memoretur Dietlandus abbas, qui eam *modo dignanter regit, ac monachis præest Deo ibi sub regulari disciplina militantibus*, uti ex Hartmanno in annalibus eremi liquet, qui Thietlandum *annos quinque, menses novem abbatem* egisse asserit: ex quo computo ab anno 958. quo defunctus est Eberhardus *XVIII. Kal. Septembris*, uti habet antiquum Kalendarium, abbas iste primum anno 963. fuisset mortuus, uti ad eundem annum scribit Hartmannus, vel potius mors eius ad annum sequentem esset differenda. Res tamen utcumque componi posset ex eodem Hartmanno, si Gregorius forte anno 960. monasterii administrationem susceperit, *Thietblando ætate gravi, & tot laboribus & curis minus idoneo, qui adeo præter titulum nihil usurparet dominationis*: quo certe titulo, ut vidimus, in Ottonis diplomate anno 961. occurrit.

Utrumque autem res sese habeat, Gregorius abbas legitur in charta Ottonis I. Imp. anno 965, apud P. Herrgott. Priore iam anno 964. data fuit a Leone VIII. P. bulla, qua asseritur divinitus facta capellæ B. Mariæ in cœnobio S. Meginradi consecratio anno 948. sub Eberhardo abbate & S. Conrado Constantiensi episcopo: quam exhibet Hartmannus. Gregorius iste adhuc vivens *sanctissimus vir & cunctis virtutibus pollens* deprædicatur in diplomate Ottonis M. de anno 965. & in alio anni 975. Aliud Ottonis M. Imp. diploma exstat apud P. Herrgott, quo anno 995. confirmat concambium inter *Hildibaldum episcopum Wormatiensem & Gregorium abbatem Meginrates Cella* in initum super prædiis in *Scaleia* prope oppidum *Burckheim* in Brisgoia: ubi etiam Henricus II. an. 1004. eidem monasterio donavit curtem in *Riegol* seu *Riogel* vicum, a nobis iam supra ex codice Einfidlensi notatum cum aliis locis, in quibus idem monasterium possessiones habebat, eorumque ecclesiarum dedicationes recensentur. Datum vero est istud diploma in gratiam Wirandi abbatis, qui Gregorio ad annum 996. defuncto successerat, atque ad seculum sequens pertinet.

XXIX.